multorum peccata, ſecundo abſq; peccato appa-
rebit ijs, qui expectant eum ad ſalutem.

Epheſ. 1.

Per ſanguinem Chriſti habemus redem-
tionem, videlicet, remißionem peccatorum, iuxta diuitias gratiæ ſuæ.

1. Corinth. 1.

Ieſus Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſa-
pientia, iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.

Si peccator & iniuſtus es, venias ad Chriſtum, & huic te vera confeſſione totum aperi, hac fiducia, eum eſſe vnicum σωτῆρα & Redemptorem, tunc iuſticia Chriſti tibi conferetur, & teget tua peccata, ne tibi obeſſe poſſint.

Rom. 5.

Nam ſi reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, cum adhuc hoſtes eſſemus, multo magis ſaluabimur per vitam ipſius, dum ſumus reconciliati.

Galat. 1.

Chriſtus dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt redimeret nos ex hoc malo mundo, ſecundum voluntatem Dei, & Patris noſtri.